

numerum nec hodierni quidem Mexici populofitas succidit: quippe non rarioribus, atque quondam, per stagnum excursibus recursibusque distenta. Post multa verò quæ rædij vitandi causâ mittimus, pag. 346. ita concludit: Porro planitiem, in qua surgit, vallant circumfusi quaqua versum colles, humili, sed tamen vernante semper, divorum amentitate. Remotiora verò, quæque duriozem nacta sunt auram, in montes erigantur. Et tanquam amphiteatro gradatim eminent, jugis super juga scandentibus, quæ cuncta rivibus anpositis, æternaque glacie rigent. Hactenus Biffelius Amphitheatrum describens Mexiceum, quòd tamen, credimus, flocci ducet Martinus, Theatrum recogitans Saguntinum, de quo à se primùm detecto sibi gratulatur, contranitante virò erudito D. Joanne Martinez de Salafranca in Diario Litteratorum Hispaniæ tom. 3. à pag. 189. sensumque suum Mari Arcij Syracusani testimonio probante, jam inde ab anno 1554. edito Dialogo Theatrum illud commemorantis.

ANTELOQUIUM VIII.

Emmanuelis Martini ignorantia de Mexicana eruditione ab eo tempore quo excoli ab Hispanis America cæpit ad usque ætatem nostram, aperitur, & in scribendo temeritas confutatur.

Hactenus, neutiquam spernendam Indorum Mexicanensium eruditionem, qua retro claruerunt, in Theatrum deduximus

nus, ostendendi ergo quam sint vel ipsis injuriosa, & à vero aliena quæ Decanus Alonensis scripsit. Quoniam verò non Indos ille veteres cogitavit, sed novos indigenas, in iisque, & Hispanos in America natos, & alibi genitos viros in ipsam ascitos, quos ad unum omnes quàm longissimè distitos credidit à Minervæ sedibus & pomærijs, ejusdem ut in hisce rebus ignorãtia scribendique temeritas aperiat & propulsetur, è re nostra est. *Quò te conferes apud Indos, inquit, in tam vasta litterarũ solitudine?* Ita ne, bone? Hanc ut dedoceare non opinionem dicimus, sed temeritatem: vel ut enucleatius dicamus, amentiam, quanta in vastissima litterarum solitudine litterarum Domicilia duobus ab hinc seculis condita cæperint, in diesque ad delicias usque sapientissimorum hominum effloruerint, paucis audito. Sunt apud Americam Mexicanam Universitates seu Academia Regiaque authoritate condita Mexicana, quæ Princeps est, & ante duo secula, Carolo V. Cæsare, constituta: Hispaniolensis, Goatmalensis, Habanensis, Garaquensis, Jucatanensis, in quibus Europæorum more Scientiæ omnes traduntur & Facultates, Gradusque Academici ad Doctoratum usque pro scholarium & candidatorum meritis, singulis destinantur. Sunt Collegia, Seminaria, & id genus Athenæa pro instituendis adolescentibus & omnigenâ formandis eruditione. Quot verò si quæras isthæc Domicilia scientiæ sint, haud facili, forsanique incredibili Tibi supputatione dabimus. Id exploratum certumque habemus, quòd ad Mexicanam Academiam spectat, sexaginta non minus Lycea esse,

si Collegijs & Cœnobijs urbanis nostris cœtera ad-
jiciantur Angelopolitana, Michoacanensia, Goadalaxaren-
sia, Goaxacensia, & Durangensia, è qui-
bus initiandi Minervalibus apicibus examenque
subituri Seculares & Regulares scholarum profes-
sores conveniunt. Nec porro pauca numero sunt
quæ apud Hispanienses, Goatemalenses, Haba-
nenses, Caraquenses, & Jucatanenses vigent, &
Academij illis decori sunt, atque Americæ orna-
tui. Quæ cur Tibi incredibilia videantur non erit,
si modò Archiepiscopatus tres, & Episcopatus
12 singulos vastissimâ Diœcesi, & plerosque fre-
quentissimo Clero Seculari constantes sciveris;
Religiosorumque Ordinum Provincias amplissi-
mas 18. litteris operam dantes (ut tres præ-
tereamus Hospitalitati insistentes, quæ tamen
litteratis viris non carent) à publicis monumen-
tis & Historijs acceperis. Videsne quam vasta
sit litterarum solitudo in America Mexicana,
apud quam frequentissimi litteratorum cætus abun-
dant? Sed adjectis à Te quaesitis respondeamus
oportet: *Quem adibis non dicam Magistrum, cujus præcep-
tis instruaris, sed auditorem?* Sic Tu adolescentem
charissimum Tibi moniturus alloqueris, quem ita
nos è regione alloquemur. Adibis sanè, quem ma-
lueris è sexcentis Magistris, à quo efformeris. Nam
intra Mexicana pomæria semper offendes Do-
ctores centum plus minus ve, quo autem tem-
pore scribimus hæc, centenario majorem eorun-
dem Confessum invenies, qui infulis redimiti, è
voto Tibi & sententia litteras instillabunt. Ad-
bis (absit jactantia verbis) totidem Professores
Scien-

Scientiarum quotidianam in eis tradendis operam
in Gymnasijs ponentes, in Academia quidem vi-
ginti tres, Regijs stipendijs, Idiomata, Rhetoricam,
Philosophiam, Mathematicas, Medicinam, Roma-
norum Jura, Canonicas sanctiones, Theologiam
universam è suo quisque suggestu docentes; in
Collegio Maximo Societatis JESU duodecim, Gram-
maticis, Rhetoricis, Philosophicis & universis
Theologicis institutionibus Juvenes efformantes;
novè simili insistentes muneri & professioni in Me-
tropolitanæ Ecclesiæ Collegio Seminario; reliquos
cùm in Cœnobijs tum etiam in Collegijs Do-
minicanis, Augustinianis, Franciscanis, & Merce-
densibus, quibus adduntur Carmelitani non longè
ab Urbe nostra Athenæa sua excolentes, ac Præ-
ceptores urbani multi & in alijs secularibus Co-
legijs & in suis quisque Ædibus Grammaticam
& humaniores litteras expendentes. Ecce quot
quantosque adire Magistros liberum Tibi erit
Mexicum ingredienti; alibi autem Americæ no-
stræ commoranti plures etiam & plures occurrent
Magistri apud Angelopolitanos, Michoacanenses,
Goadalaxarenenses, Goaxacenses; Durangenses, Goa-
temalenses, Jucatanenses, cœterosque superius me-
moratos, qui litteras tradant imbuantque Te eru-
ditione multa. Nec enim inibi degens, Collegia
in optatis Tibi erunt atque Cœnobia, plura pau-
ciora ve pro uniuscujusque Diœcesis mensurâ &
indole. Cœtera ut prætereamus hujus rei monu-
menta, placet unum tibi digito signare, quod ut
est typis editum jam inde ante centum & amplius
annos integro volumine in fol. cui titulus *Allegaciones*

in favorem Cleri, Status Ecclesiastici & Secularis, Hispanorum & Indorum Episcopatus Angelopolitani, legere integrum erit tibi, & ab eo memorata authentica instrumenta haurire. Statim enim fol. 2. col. 1. Regi Catholico, cui Liber nuncupatur, Præbyteri Seculares Diocesis Angelopolitanæ sistuntur septingenti, Curiones, Beneficij, Vicarij, Capellani, quorum plures, id est, supra quadringenti, ut habetur fol. 195. col. 2. n. 384. insignes erant gradibus, alij Doctoratus, alij Licentiæ, alij Bachalaureatus in varijs Facultatibus, & insuper diversis Americanis idiomatibus eminenter exculti. Adhæc, septingentis, quæ diximus, Mystis accedebant amplius ducenti minoribus Ordinibus initiati, litteris operam dantes, & strenuè Minervam colentes, nongentique omnes in Diocesi eadem nati, quatuor vel quinque demptis, ut videre est fol. 88. n. 16. & fol. 4. col. 2. Quam verò alacriter ipsi Scientias coluerint, palam coram frequentissimâ doctissimorum hominum populique coronâ dedere anno 1646. concursu, ut dicitur, facto pro petitione Ecclesiæ Parochialis Villæ de Carrion nuncupatæ. Alij enim horarijs Prælectionibus, aut Theologicis, aut Juridicis, 24. horarum spatio elucubratis, eruditionis specimen exhibuere, additis ex præsortito cuique Evangelio horarijs Concionibus Hispanicis, præfinitis ad ipsarum formationem horis 48. Alij & Sermones similiter habuere Hispanos & Mexicanos, & Theosophicas Prælectiones, ut nuper diximus concinnatas. Alij trilingues Orationes sacras, alij quadrilingues dixere è superiori loco simili angustia

tem-

temporis conditas. Alij Relectionibus & Concionibus à se habitis, addiderunt Theses publicè defensandas ritu scholastico, tum ex Sacris Biblijs, tum ex Theologia Speculativa petitas, tum ex Morali, ex Philosophia itidem, ex Idiomatico Mexicano, & ex Ritibus Ecclesiasticis. Fuit eos inter Bachalaureus Antonius Adar de Mosquera, qui ex temporaneè concionatus est idioma usus quadruplici, Hispano, Mexicano, Chochoneco, & Angolano. Atque omnium, quæ diximus, specimina ingenij ad crism traducta, probata fuere & pro uniuscujusque merito laude mactata à gravissimis Judicibus & Examinatoribus Synodalibus D. D. Joanne de Merlo, Canonico Doctorali, Officiali Diocesis generali, electoque Episcopo Hondurensi; Alphonso de Cuevas Davalos Archidiacono, postmodum Episcopo Goaxacensi & Archiepiscopo Mexicano, Michael de Poblete Scholastico, dein Archiepiscopo Manilensi, Alphonso de Herrera Canonico Pœnitentiario, Antonio Peralta Castañeda, Doctore Complutensi, Canonico Magistrali, Laurentio de Orta Præbendato, & Nicolao Gomezio Briceño Judice Testamentorum & piarum Causarum. Atque his jam cernes quantum à verosimili exorbitaverit Martinus tuus, qui nullam apud nostrates Magistrum Tibi pollicebatur, ejus præceptis instituerere. Quid porro ad subjunctas positiones ejus reponamus oportet? Liber ipsas repetere, quò hominis, audaciam ne dicemus, an demerentiam? coram ponamus. *Quam adibus, non dicam Magistrum ejus præceptis instituatis, sed auditorem? Non dicam aliquid scientem, sed scire cupientem. Dicam enucleatius*

217 *

tius: A litteris non abhorrentem? Certe ubi tot Antecessores & Magistros ex officio tradendis litteris incumbentes signavimus, oleum & operam perderemus, si auditores numeris putare vellemus, qui quantos in Scientijs progressus fecerint faciantque in dies, Bibliotheca nostra docebit. Id unum solennius refutandum videtur, quod omnes ad unum nostros à litteris abhorrentes pronuntiaverit Alonensis, quapropter eam in aliud Anteloquium provinciam mittimus commodius instituendum de Mexicanorum ingenio & in litteras amore & studio, postquam ineptissima, quæ subjungit, alia re-
pulerimus.

ANTELOQUIUM IX.

De Codicibus & Bibliothecis Mexicanis Emmanuelem Martinum latentibus, quem notissima eruditus, imò etiam indoctis multis monumenta effugisse monstratur.

Postquam narrata in superioribus effutiverat Decanus Alonensis, colophonis loco nostram edoctrus barbariem inquit: *Ecquosnam evolves Codices? (Mexici) Equas lustrabis Bibliothecas? Hæc enim omnia tam frustra queres, quam qui tonder assinum, vel mulget hircum.* Hirsutum dixeris hominis supercilium, & hircum corde genitum virum, qui veritus non fuerit universam nec malè de se meritam Nationem lacessere, atque omnes cujus-

vis

vis gentis eruditos, Americanorum non nescios, insimul provocare, qui stylo ipsum conficiant, & temeritatis ac falsitatis notam Epistola inurant tot tantisque erroribus & probris consarcinata. Nec injuria, asinum, quod est in proverbio, inter apes reponeres, viro, qui Litteratos & Codicibus utentes ac Bibliothecis Mexici, detonsis asinis comparaverit. Nam & si mellei suapte indole sint Mexicani, & in nullos austeri, fieri non potest, quin laceffiti, & immerito provocati, favos inter orationum, carminum, & similium, cum moderamine, ut dicitur, inculcata tutela, spicula Emmanuelli Martino figant, deque ejusdem Epistola conquerantur. Ad Rhombum modò, Miram forsitan multis videbitur, Codices omnes Mexicanos prorsus latuisse virum tanto inter eruditos nomine, qui & Bibliotheca instructissima doctissimi Cardinalis Hispani D. Josephi Sænis de Aguirre Custos & Præfectus fuerat, qui que eodem functus munere Mantuae Carpentanorum Bibliotheca Excmt. D. Ludovici Cerda Ecclesie Principis curam sustinuit, qui præterea Romæ agens Vaticanam toto Orbe celebrem, & alias insignes Bibliothecas frequentare consuevit, in quibus peregrini Codices, & in remotissimis etiam plagis editi, extare solent, ipsaque Mexicanorum Volumina characteribus inscripta non omnino desiderantur, à memorato supra Kircherio visa & relata. Hanc ob rem multi forsitan mirabuntur, nullum ab Emmanuele Martino unquam visum Codicem Mexicanum. Nobis ita mirantibus, alia suppetunt longè mirabiliora. Quamvis enim in Libros non offenderit

alios aut Mexici excusos, aut à Mexicanis conf-
criptos Authoribus, mirari subit, nec vidisse
tantum in cute, nec audivisse quidem notissimam
scholasticis viris *Logicam Mexicanam* à P. Antonio
Rubio Societatis JESU jam pridem editam, & Com-
pluri famosam: *Cursum Medicum Mexicanum* à D. Mar-
co Salgado, publici juris factum, nec Europæis ig-
notum. *Magnalia Mexicanensia* Illmi. D. D. Bernar-
di de Balbuena, Poetæ non injuria à D. Nico-
lao Antonio multis elati; & Volumina alia Me-
xicanum nomen præferentia. Quid verò de Mo-
niali Mexicea Joanna Agnete à Cruce dicemus,
cujus editi Libri Mantuæ Carpentanorum, & alibi
Hispaniæ septies recusi seculo proximè lapsò, &
deinceps iteratis typis donati, notissimam &
Hispanis & Exteris fœminam reddidere, quæ Mu-
sarum decima audit, & insignibus mactatur elo-
gijs ab eruditissimis viris? Trita sunt adeò Volu-
mina isthæc, ea ut non modò apud litterarum Pro-
fessores frequenter invenias, sed etiam penes
dissertos quosque & nobiles aliqua tinctos eru-
ditione. Qui verò P. Joannis Martinez de la
Parra Societatis JESU *Veritatum lucem Catholicarum*
Libri prætervolasse. Decanum Alonensem po-
tuerint, adhuc mirabilius habemus, quòd tan-
to illi in pretio apud Europam sint, ut & Itali
facti à P. Antonio Ardia ejusdem Societatis pro-
dierint, & in Latinum idioma conversi à quodam
Monacho Cirterciensi, rursus typis excusi fuerint,
post Hispanas editiones iteratas in dies tam-
que frequentes in universa Hispania, ut multi Pa-
rochi eis pro munere suo ad Fideles christianè
institi-

instituendos utantur. Adhac animadversione dig-
num existimamus, doctum virum Emmanuelem
Martinum tritas ab eruditis frequentissimè viris
Bibliothecas editas pænitus neglexisse, Dominica-
nam & Franciscanam, Societatis JESU & Carme-
litarum, Alphabetum Augustinianum & Epitomen
Pinelianam, aliasque Collectiones jam pridem vul-
gatas, quæ cum Codices Mexicanos multos objiciant
legentibus, nunquam ab eo libatas fuisse, sunt ar-
gumento. Quis verò crederet, virum elegantissi-
mum & rarioribus inhiantem Codicibus, ne sa-
lutasse quidem *Orbem terrarum Scriptorum calamo deli-
neatum* (quo de infra) Mexicanos, ut omnium Na-
tionum, Libros non invidentem? Reliqua sunt duo
notatu dignissima. Alterum, Bibliothecam Hispa-
niæ novam à D. Nicolao Antonio editam prius
quam Bibliotheca vetus in lucem prædiisset, Mar-
tinum vel oculis nunquam lustrasse, vel pænitus
quæ in ea legerant omnia oblivioni dedisse, quæ Me-
xicanos Codices passim suppeditat, & Mexici ex-
cusos, & à Mexicanis profectos; cum tamen Mar-
tinus ipse jussu Cardinalis de Aguirre Bibliothecæ
Hispanæ veteris editionem accuraverit ador-
naveritque. Alterum, quod ejusdem Purpurati im-
perio Principis editioni Collectionis Conciliorum
Hispaniæ & novi Orbis ab eodem Cardinali ela-
boratæ præfuerit; quin tamen Concilium Mexica-
num, quod *doctissimum sane esse* Eminentissimus ip-
se Aguirrius præmonuit, aut legerit, aut in pre-
tio habuerit, aut inter Codices putandum cen-
suerit; nisi dixeris, quæ sunt cumque novi Orbis
etiam mirabilia dedidicisse, & æternæ oblivioni

mandasse. At ne multi simus, & præproperè Bibliothecam absorvendam unò haustu Mexicæam hic exhibeamus, in ipsam recensendos Codices à nostris editos reservemus & manu exaratos, interea Typographicas Officinas, queis Lucinam agentibus, & ingenij fœtus nutricantibus, Codices eruuntur in lucem, jam pridem in America nostra constitutas atque florentes, ab exteris viris commemoratas, Martinum doceamus, ipsas unà cum Codicibus & Bibliothecis nostris ad regionem amandantem detonsis asinis frequentissimam. Scilicet, vir ad miraculum usque eruditus, nunquam Authores vidit Europæ vulgares, qui ut Mexicum ab auro & argento insignem habuere, sic etiam ab opere typographico, Gerardum Mercatorem in Atlante minore superius à nobis indicato pag. 636 scribentem: *Resident in hac Urbe Archiepiscopus & Pro-Rex, ac Tribunal Supremum Novæ Hispaniæ. Est etiam in ea imprimendi ars, & eudendi pecuniam* Marcum Serran in Thesaurò Synonimorum verbo *India*, Mexicum paucis cõmemorantem, *Ubi*, inquit, *as cuditur, & imprimantur libri.* Bissellium in Argonautici Americanorum lib. 13. pag. 346. similiter enarrantem; ut Historiographos prætereamus Hispanos & nostros, typographias ante duo secula Mexicæas laudantes, queis incrementa capientibus multa, Angelopolitana accesserunt, Goatemalenses, Goaxacenses & Habanenses. Sed de his hætenus.

ANTELOQUIUM X.

Bibliothecæ Mexicæa aperiuntur, in quas Alonensis Decanus urbanissimè excipiendus invitatur atque tractandus.

A Codicibus ad Bibliothecas rectà trajicimus, quas ingëtibus comparatas sumptibus possident Mexicani, nec gravatè exhibent studiosis, utroque aperiunt exteris viris, à quibus nonnulla deinceps data testimonia promemus. Non sunt equidem nobis Bibliothecæ quæ Vaticanam exsæquent, aut Regijs Matritensi, Parisinæ, & similibus comparentur, vel Manuscriptorum antiqua & prædivite abdità eruditione, vel Editorum numero & copiâ. Nec ramen desunt permultæ insignes, nihilo ijs minores quæ apud Europæos celebres jure habentur. Libet Petrum Blanchot in *Idæa Bibliotheca universalis* transcribere. *Et quidem in Urbe (Parisiensi) celebres atque magnificas Bibliothecas habemus, Regiam, Richelianam, Sorbonicam, Victorinam, Navarræam, Claromontanam S. J. Thuanam, Memmæam, Allæam, Lozonnaam, Riberianam, Cordeſianam, Moreanam, in quas nobis aditum per curatores suos datum iri planè confidimus.* Hæc ille. Ex ijs porro Bibliothecis Cordeſiana nobis perspecta est in ejusdem Catalogo Parisijs edito apud Antonium Vitray anno 1643. in 4. rectâque factâ supputatione, conſtat Voluminibus in fol. in quarto, & in octavo. 8291. cui

cùm habeamus multas suppare, multas pares, multasque longè majores, celebres haud immerito Bibliothecas nostras cognominabimus. Jam hæc quæ notissima sunt exteris viris aliquandiu apud nos diversatis, ut ipsorum testimonio firmemus, ad Doctorem Franciscum Gemellium Carreri provocamus in Periegesi seu Orbis giro commemorantem Bibliothecam PP. Carmelitarum Cujoacanensis Collegij propè Mexicea pomæria siti, duodecim mille voluminibus divitem (in quibus tamen computandis excessisse nobis videtur) atque eorundem in Deserto, ut vocant, Mexicanæ Provinciæ alteram Bibliothecam, Codicum numero prætermisso, laudantem. Accedit D. Petri Cuberri Sebastiani, Clerici Aragonensis, Prædicatoris Apostolici in Asia, suffragium, qui in edita à se Orbis Peragratione cap. 41. effert & laudat Illm. Angelopolitani Episcopi V. D. D. Joannis de Palafox Bibliothecam, insignibus, curiosis, & extrarijs etiam Libris conspicuam. Ut verò rem ab ovo, quod ajunt, dicamus, libenter fragmentum adducimus Dialogi D. D. Francisci Cervantes Salazarij *de Academia Mexicana*, colloquëtibus Messa & Guterrio instituti, editique alios inter, Mexici anno 1554. à Joanne Paulo Brissensi typographo. Guterrio enim post lustram undique Academiam Mexiceam anno proxime tunc elapso conditam, hoc est anno 1553, ita socium interrogante: *Bibliothecam non habet Schola?* ille reponit: *Erit magna ubi coaluerit, interea tamen quasunt in Monasterijs non parva, haud leviter jurabunt eos qui ipsas adire voluerint.* Scilicet, jam inde ab erectis Mexici religiosis Cœnobijs, ex-

pug-

pugnatâque Mexico, Bibliothecæ constitui cœperunt & instrui à Patribus Franciscanis, quibus brevi adjuncti fuere Dominicani, nec diu post Augustiniani dein accessere Jesuitæ, Carmelitani nudipedes, & Mercedenses Sodales, atque in eorum omnium Cœnobijs, Collegijs, Domibus Mexicanis, Tlascalensibus, Angelopolitanis, Goatemalensibus, Goaxacensibus, Durangensibus, Jucatanensibus, Habanensibus, & alijs Bibliothecas invenies, majores minores ve pro Regionum, Urbium, & Pagorum diversitate, ut vix Oppidanimis distita ab Urbibus & remota, sua suppellectilli careant librariâ. Porro Mexici Bibliothecæ sunt multæ, Cordesianæ, quam laudavimus, instructiones, Dominicana, Franciscana, Pauliana Augustinianorum (de cujus conditione unâque alijs ejusdem Ordinis memor est M. Grijalva in Chronicis Provinciæ S. Augustini Novæ Hispaniæ fol. 153. col. 2 & 188. col. 1.) Collegij Maximi Societatis Jesu, & Collegij majoris Divæ Mariæ & omnium Sanctorum: cui jam pridem nobilis accessio facta est nobilissimi alumni sui liberalitate Illm. D. D. D. Joannis Gomezij de Parada, pro ut in *Monumentis Ecclesiæ Goatemalensis* editis à P. F. Raymundo Leab Dominicano, habetur p. 54 & 55. his verbis. *Librorum mirifice appetens, (D. Parada) locupletissimam Bibliothecam collegit, multa pecuniâ ex amplissimo patrimonio in id collatâ, quasitis undequaque libris splendidioris notæ, nitidioris chartæ, rariorum, optimarumque editionum, non neglectis etiam vetustis cujuslibet argumenti codicibus. Quam nuper Mexicano Collegio Majori S. Mariæ omnium Sanctorum dono dedit, ea lege, ut ad instar Regiæ Bibliothecæ Matritensis publica*

blicæ utilitati pateret, atque ita commercio inter Veteris, ac Novæ Orbis ingenia instituto, novos thesauros indicis gentibus aperuit. Ita illè. Nos alias oratione Bibliothecas nostras brevi insinuantes, præter jam memoratas, Cordesianæ multæ sunt pares, aut suppare, & non paucis Librorum millibus adornatæ, Collegij Seminarij Metropolitanæ Ecclesiæ, quæ locupletior & insignior evasit, additâ veteri suæ haud modicæ, selectissimâ & copiosâ, quam ei dono dedit Excmûs. & Illmûs. D. D. Joannes Antonius de Vizarron Archiepiscopus Pro-Rexque Mexicanus: Tlatelolcâ seu Collegij Franciscanorum in Tlatelolco dicti: Imperialis Conventus S. Augustini: Domus Professæ Societatis JESU, & ejusdem Ordinis Collegij Regalis & Antiquioris S. Ildefonsi: Mercedensium Cœnobij Maximi: Carmelitarum, & Oratorienſium S. Philippi Nerij, quæ intia cœpit ijs Libris quos in Hispaniam redux eis tradidit, charissimum sibi caput, Excmûs. & Illmûs. D. D. M. F. Payus Henriquez de Ribera Archiepiscopus atque Pro-Rex (ut Author est P. Julianus Cutierrez Davila in Monument. Historicis Congreg. Orator. Mexicanens. p. 1. n. marginali 60) deinque multis ditior accessionibus facta est PP. operâ & ære. Præter has communes & Ordini cuique & exteris eas adire cupientibus, aliasque minoris momenti in singulis Cœnobijs & Collegijs pro Magistris, Lectoribus, Concionatoribus & similibus, sunt privatorum virorum per multæ non ignobiles Voluminum copiâ & pretio, quas & Auditores Regij possident, & Canonici, Academici Professores atque Doctores, Cau-

Causidici, Medici, & alij, præsertim Ordinis Ecclesiastici. Et ut cæteras prætereamus, memoria quidem & elogio digna est Bibliotheca insignis Monialis Mexicanæ Joannæ Agnetis à Cruce, quatuor mille Voluminibus, utique selectissimis, instructa & ornata, ut habet P. Didacus Calleja Hispanus Societatis Jesu in Approbatione Tomi tertij ejusdem Monialis, quæ itidem eleganti fuerat Musæo donata Mathematicis instrumentis & id genus cimelijs divite Angelopoli, & Cœtus Religiosorum & Secularium hominum, & privatè degentes, præsertim Capituli Cathedralis alumni, Bibliothecis abundant, quas inter clarissima habetur Collegiorum SS. Joannis & Pauli ab Illmô. D. D. Palafox condita, multisque aucta ab Illmô. D. D. Emmanuele Fernandez à S. Cruce. Apud Antequeram Goaxacensium multo est nomine Bibliotheca Collegij à S. Cruce, ea insigniti Illmô. D. D. Nicolai del Puerto, gentilis sui & Episcopi dono, aliæque adsunt minime obscuræ, & multo pretio habitæ. Ne tamen morosi simus, tacitas facimus, ceterâ elogio dignas, Bibliothecas Goatemalensium, & Goadalaxarensium, in quorum Primarijs Urbibus resident Conventus juridici, & sapientum virorum ex omnibus Ordinibus frequentissimi cœtus; aliasque in memoratis supra Dicecesibus sitas. Id tamen neutiquam prætermittendum ducimus, quod & Bibliothecis pretium adauget, & nostrorum in colendis litteris amorem & studium palam exponit: caritas scilicet Librorum, tanta certè, ut triplo, quadruplo, & majoris constant nobis quam Europæis, à quibus superbis-

simæ facillè Bibliotheca instruerentur eo ære, quo non aded magnificas & splendas nobis comparamus, hac tamen via quotquot avemus Libros nanciscimur, Bibliopolis Europæis & negotiatoribus quæstu incitatis, ut plurimas ad nos selectorum capsas Voluminum afferant, quæ ab eruditæ Europæ florentibus insignes & prædivites doctrinæ gazas quotidie mutuemur, rarioresque Codices possideamus, ut subinde mirum non sit, exempli gratia, *Orbem terrarum Scriptorum calamo delineatum* operâ Alphonfi Laforis à Varea, seu personati hoc nomine P. Raphaelis Savonarola Clerici Regularis de Providentia, quem non à se visum testatur eruditissimus Bibliothecæ Criticæ Author Illmûs D. F. Michael à S. Joseph Volumine 1. pag. 532. art. *Bibliotheca universalis*, qui rario-ra scrutatus est & evisceravit Volumina; nos ante annos triginta viderimus (qui etiam pro Bibliothecæ nostræ usui est) quo tempore quidam Italus Mexici Bibliothecam adeo instructam, copiosam & elegantem distrahendam exposuit, ut centum mille argenteis uncialibus æstimata fuerit, cujus majorem partem in taberna paulatim venum dedit D. Josephus de la Barreda inter Astures natus, quicum nobis fuit consuetudo, pulchrâ dives eruditione, præ qua argentum & id genus cætera negligebat. Quo autem tempore hæc scribimus proflar item Mexici Bibliopola exterus Augustinus Dherbe, qui dudum ab Europa secum detulit Librorum opulentam supellectilem, cum ab Hispanis editorum, tum à cæteris Europæ florentibus eruditæ. Adhæc: Sunt in Urbe nostra per-

petuò tabernæ Librariæ multæ, nec nullius pretij; è quæ una adest non longe ab Ædibus nostris, quæ hastæ subjecta, non minoris coempta est quam triginta mille argenteis uncialibus. At enim frustra in hisce moramur, cum non Mexici modò Urbe primaria & apud Orbem universum inclyta & celeberrima, sed apud Insulas etiam Mexiceas minori frequentia sapientum excultas, Bibliothecæ jam pridem extiterint, è quibus ante centum annos Portugitensem Illmî. Bernardi de Balbuena Episcopi suffuratus est Batavus prædo, quod in Bibliothecæ nostræ ab eximio Poeta Lupe-
sio de Vega Carpio paucis audiemus.

ANTELOQUIUM XI.

De Americanorum ingenio, & in literas amore ac studio.

Reservatam superius thesim istam Emmanueli Martino dicamus, discat ut ipse quantum in rebus nostris nobisque ipsis judicandis abjiciendisque desipuerit. A litteris nos ad unum omnes abhorrentes scripsit, perinde quasi stipitibus quam simillimos in America natos ac degentes crediderit, aut orbatos mente, aut ingenio ad literas profus nullo, quibus subinde illæ fastidio sint & horrore. Quam verò Americani sint ingenio præclari, statim docendum est, mox eorundem in literas innuendum studiû, amor signandus. Et quòd ad ingenium attinet, ne suspectis & repelendis jure re-

stibus